

SECTIO II.

ENimvero adversus hæc ex recta ratione deducta, quæ blasphemum in sanctissimum Numen esse absolutum Electionis decretum demonstrant, argumenta, habere se alia putat, quæ in acie pro se locet Rœellius.

Unde l. l. c. p. 138. §. 86. hoc ei præfixo lemmate: Doctrina de gratia & Prædestinatione ad laudem Dei debet proponi, scribit; Quandoquidem Apostolus electionis, prædestinationis, omnisque gratiæ & gratuitorum donorum ac bonorum in Christo, finem dicit laudem gloriæ gratiæ Dei. Atque adeo inde ejus gloria, ad ejus laudem, illustrissimo modo elucet. Manifestum est, tantum abesse, ut doctrina de electione & prædestinatione æterna veræ pietati nociva sit, ut e contrario sine ejus recta cognitione & agnitione Deus debita gloriæ gratiæ laude privetur. Neque enim omnia, vel naturæ, vel gratiæ, opera possunt esse ad Deum, ut propterea æstimetur, ametur, ac laudetur, nisi sunt Rom. XI. 36. ex ipso, & per ipsam. Finis pendet ab origine. Non recte cognita prima rerum causa, ultimus earum finis intelligi nequit. Neque, cui debeat operis laus, sciri, non cognito opifice. Et illi procul dubio debetur laus, cujus est opus. Illi amor, & gratiarum actio, qui ex immerito amore & favore bona largitus est. Laudari ergo Deus nequit, nisi faciat laudabilia. Neque laudari ac celebrari à peccatore gloria gratiæ ejus, nisi cognoscat, omnia bona salutaria, ipsamque vitam æternam, esse ipsius charismata gratuita dona in Christo, & divina potentia nobis donari, atque esse totidem perfectionum & virtutum ac gloriæ divinæ clarissima argumenta, per quæ gloriosum se, & admirabilem atque amabilem in sanctis suis & credentibus demonstrare voluerit. Neque quisquam veram bonorum ac donorum illorum naturam & indolem recte intelligere, nisi cognoscat, omnia illa charismata, quæ Deus in tempore largitur, fluere ex immutabili gratiæ proposito, ex electione

ctione